



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 14. Controversia de communione Paschali

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

ast furdas pulsabat aures, quocirca spe secul. XV.
sua delusus, Piscinino præcepit, ut cun- A. C. 1456.
ctas urbes Senensibus ablatas iisdem
restitueret.

§. XIV.

Controversia de Confessione Paschali.

Hoc anno Parochorum jura circa confessionem Paschalem hucusque controversa ingenti animorum contentione denuo agitata fuere. His occasionem dedit quædam Nicolai V. Constitutio, quam pro Religiosis Mendicantibus edidit, eisdemque Paschatis quoque tempore fidelium confessiones excipiendi facultatem asseruit, unde jus Parochorum a Canone *Omni utriusque sexus* stabilitum, ac ab ipsa Clementina Constitutione *Dudum* firmatum labefactari credebatur. Parisiensis Academia, cum hanc Bullam a quibusdam Religiosis Carmelitis rerum sacrarum Judici (quem vulgo Officialem appellant) consignatam comperisset, quantocius ab ea provocavit, Fratresque Mendicantes ad diem vigesimam quartam Maji, quæ erat feria secunda, comparere jussit, significans: ni hujus Bullæ privilegio nuntium mittere vellent, ac sponderent, se illius revocationem infra temporis spatium sibi præfigendum procuraturos, scirent, se a totius Academiæ

Hist. Eccles. Tom. XXVIII. H h lo-

Sæcul. XV. societate exclusos. Ecquidem Ordinum
A.C. 1456. Mendicantium Religiosi huic tribunali
 se sistere non dubitarunt; verum cum
 Academiæ decreto obedire recusarent,
 tanquam perjuri, & ab universitatis cor-
 pore abscissi declarati sunt.

§. XV.

*Bulla a Nicolao V. pro Mendicanti-
 bus edita a Callisto confirmata.*

Religiosi Mendicantes Constitutionis
 revocationem urgere haud solliciti,
 Callistum Papam adeunt, Academiæ Pa-
 risiensis agendi rationem conquesti; nec
 irritò conatu; obtinuerunt enim a Pon-
 tifice Bullam, qua non solum Nicolai V.
 Constitutio confirmata, sed etiam cuncta
 ab Academia contra Religiosos attentata,
 nulla atque irrita fuere declarata. Quæ
 res non parum offendit Academiam, nec
 tamen propterea vel latum unquam a
 concepta decessit sententia; quocirca Re-
 ligiosi alias concordiæ vias quærere com-
 pulsi sunt; Cum vero Rhemensis Archie-
 piscopus, Parisiensis Episcopus atque
 Senatus hanc litem componendam sibi
 sumerent, præprimis Mendicantibus pro-
 posuerunt, ut hac Constitutione nullum
 sibi novum jus acquisitum esse profiteren-
 tur: Verum hæc ipsa propositio, cum
 captiosa videretur, recepta non est.

Paulo